

tuus sit: at incendia bituminis seu calores seu flammæ di-  
xeris, ubicunque sunt non sunt perpetua, & per consequens  
ad continuandum thermarum calorem insufficientia.

Cæterum progrediamur ad assertionem illorum, qui *Opinio eorū,*  
*Sulphur* istius ignis actualis causam statuunt, in quorum nu- *qui putant*  
mero celebriores quiq; reperiuntur, commoti fortassis au- *sulphur esse*  
toritate *Philosophi*, quod non tantum ex *lib. de proprietatibus*  
*Elementorum Aristoteli* ascripto, sed etiam ex *problematis sect.*  
*24. probl. 18. & lib. 2. Meteor.* facilimè colligitur. Dum enim  
*Philosophus* quærit, qui fiat, quod thermæ maximâ ex par-  
te salæ proveniant, respondetur, id ipsum fieri propter sul-  
phuris accensi adustionem, cujus ratione cinis exustorum  
salsus reddatur. Hinc *Baccius lib. 1. de thermis cap. 19.* singula-  
ri naturæ dispositione subterraneis ignibus sulphuris ma-  
teriam destinatum esse dicit. Hinc *Pontanus* de thermis  
Bajanis:

*Bajano sed ne fumare in littore thermas*  
*Mirere: aut liquidis fluitare incendia venis:*  
*Vulcanifera Sulphureis incensa caminis*  
*Ipsa movent, latè multum tellure sub ima*  
*Debacchari ignem, camposq; exurere opertos.*  
*Inde fluit calidum referens ex igne vaporem*  
*Vnda fugax, teclis fervent & balnea flammis.*

At non autoritate tantum sed rationum quoq; mo-  
mentis tam veteres quàm recentiores hanc assertionē con-  
firmare conantur, propterea, quod vix inter fossilia quic-  
quam reperiri possit, quod sulphure citius flammam con-  
cipiat, eandemque diutius foveat. Adde sensu teste sul-  
phureū odorem in omnibus ferè thermis observari, quam  
ob causam non rarò laborantes, quibus ob capitis debilita-  
tem vel ob singularem *ιδιο συνηγεσίου* sulphuris halitus ini-  
micus est, thermarum usum vitare coguntur. Rationi sub-

C

scribit